
† P. Hyacinthus (Adam) Woroniecki O. P.

Collectanea Theologica 21/4, 379-382

1949

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez **Muzeum Historii Polski** w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

NECROLOGIUM

† P. HYACINTUS (Adam) WORONIECKI O. P.

Magno cum luctu theologorum Poloniae cessit a vivis die 18 Maii 1949 a. A.R.P. Hyacinthus Woroniecki. Nobili familia principum Korybut-Woroniecki die 21 Decembris 1878 ortus in Kanie prope Lublinum, patre Miecislao et matre Maria comitissa Drohojowska, iam a prima pueritia exemplar pietatis ac studiositatis se praeuit. Iam curriculum gymnasialium studiorum Varsoviae agens, propinquos suos ac collegas solitus erat invitare ad discutiendas res gravioris momenti, sociales, nationales, morales etc. Hisce studiis anno 1898 felicissimo modo completis, per unum annum servitio militari se dedit, ut postea studiis tuto incumbere posset. Itaque sacrae theologiae voluit studere, ut sacerdos fieret, attamen voluntas patris sui quem aegrotantem noluit contristari, eum ad frequentandam facultatem scientiarum naturalium in Universitate Friburgensi Helvetorum compulit. Praeter studia in hac facultate designata, quae maxima cum assiduitate explebat, adhuc aliquot cursus in facultate Litterarum frequentabat necnon opera nonnulla D. Mercier (dein Cardinalis-Primatis Belgiae) in linguam polonicam vertebat. Triennio peracto adeptus est licentiatum gradum, deinde nomen suum dedit facultati theologiae et anno 1905 licentiatum in hac scientia obtinuit. In Lublinum reversus, anno 1903 ordinatus est sacerdos ab Exmo D. Fr. Jaczewski Epopo Lublinensi, qui neomystam cappellanum ac secretarium suum necnon profeso-rem Seminarii Dioecessani instituit. Triennio in hisce muneribus peracto Facultati Theologicae Friburgensi praesentavit thesim

elaboratam quae inscribitur: Les principes fondamentaux de la sociologie thomiste“ et lauream in sacra theologia obtinuit. Hocce anno (1909), pater demortuo, qui unicum impedimentum sibi fuit ne religioni Ordinis Praedicatorum nomen daret, novitiatum in Coenobio S. Dominici Faesulis prope Florentiam incepit, mutato nomine baptismatis Adam in Hyacinthum. Ob debilem valetudinem (nimis enim laborans in molestum morbum vagotoniae qui eum usque ad finem vitae suae vexabatur, incidit) novitiatum complere Romae in Collegio Angelico coactus est. Dein post breve tempus Romae peractum missus est Friburgum (Helv.) qua pater spiritualis studentium universitatis et vice-rector Convictus ecclesiastici. Annis 1912—14 in Germania peractis, postea Cracoviam venit, ibique 1914—1919 mansit opere scientifico ac apostolico deditus. Bello mondiali finito P. Hyacinthus nominatus est professor theologiae moralis ac ethicae in nuper erecta Catholica Universitate Lublini; eodem tempore fuit etiam rector Convictus ecclesiastici penes Universitatem. Post mortem primi rectoris (sac. Aegidii Radziszewski) factus est rector Universitatis annis 1922—1924. Quo in tempore in rebus Universitatis tuendis maxime meruit. Etenim aedes Universitatis restauravit et ampliavit, progressum Universitatis futurum securiorem reddidit eo quod opulentiores cives Polonos ac divites cognatos suos in societatem „Amicorum Universitatis Cath. Lublin.“ collegerit, qui pecunia ac aliis mediis temporalibus auxilio Universitati fuerunt. Item alias res Universitatis optime gerebat hoc tempore perdifficili, in initiis tanti operis quod alii diffidentia ac incuria obsequebantur. Dein qua professor et decanus facultatis theologiae usque ad annum 1929 functus est. A Generali Ordinis Romam dein translatus in Collegio Angelico professor theologiae moralis speculativae necnon paedagogicae institutus est. Eo etiam tempore adeptus est eximiam dignitatem „Magistri S. Theologiae“ in suo Ordine necnon „Magister Studiorum“ Collegii Angelici factus est. Attamen valetudine valde laborans debuit studiis suis Romanis valedicere ac in Poloniam reversus est anno 1933.

Hic Leopoli degens auxilio Provinciali Poloniae fuit qua Socius et Syndicus. Annis 1936—1939 nominatus est in rectorem (seu Lectorem Primarium) Studii Provincialis O. P. Leopoli ibique theologiam moralem, patrologiam et historiam ecclesiasticam tradebat. Eo in tempore curae suae fuit ut, votis Pii PP. XI obsecundans, Studium Provinciale Varsaviam transferretur. Quod anno 1937 votis cessit. Anno 1938 in Capitulo Provinciali nominatus est Postulator Causarum Beatificandorum O. P., quo in munere praesertim causam P. Fabiani Maliszowski O. P. († 1641) promovebat. Anno 1939, bello novo exorto, Cracoviam se recepit ibique Studium Provinciale regebat usque ad annum 1944 simulque theologiam moralem explicabat. Valetudine in dies magis magisque deficiens munere Lectoris Primarii resignavit et ex eo tempore, in quantum valetudo ipsi permittebat scribendis libris ac articulis operam dedit. Anno 1949 die 18 Maii Cracoviae ob anginam pectoris mortuus est die 21 Maii in tumba sui Ordinis sepultus.

P. Hyacinthus Woroniecki vir fuit magni ingenii et nisi valetudine laborasset sane maius opus post se relinqueret. Attamen hac minime obstante de his quae theologiam et philosophiam spectabant semper vivido animo prosequeretur novas ideas quae in centrīs christianitatis feliciter oriebantur in Poloniam introducendas semper promovebat. Ita talia quae educationem cleri, modum tradendi theologiam moralem, liturgiam in vitam populi ac cleri promovendam, rationem studiorum ecclesiasticorum spectabant scripto ac oretenus propagavit. Quamquam theologiae moralis specialiter incumberebat, tamen non aliena sibi fuit historia, res paedagogica, quaestiones ad unionem Ecclesiarum spectantes, sociales, nationales, politicae. De thomismo in Poloniam introducendo optime meruit. Societates fundavit duas: alteram S. Augustini de scientia theologica inter cultiores Polonos promovenda, alteram S. Thomae Aquinatis inter opulentiores cives Poloniae ad auxilium sacerdotibus superioribus studiis deditis ferendum. Item Congregationem religiosam SS. Dominici a missionibus fundavit aliisque congre-

gationibus religiosis exercitiis spiritualibus tradendis, conferentiis, consiliis maxime profuit.

Bibliographia suorum operum computat plus quam centum quadraginta numeros qui ad varias disciplinas ecclesiasticas et profanas, spectant. Inter quae opera eminet sua: "Catholica Ethica Educativa (t. I 1925, 1948, t. II 1948, t. III sub prelo) in qua non solum propriam suam ideam thomisticam illustravit, cum totam ethicam applicaret muneri educationis, sed etiam terminologiam theologicam thomisticam miro modo in linguam Polonicam reddidit.

Quid de thomismo senserit id in opusculo „Katolickość to-mizmu“ (1924) explicavit, scribens thomismum sibi non scholam nec factionem sed omnium, quae duratura ac perennia in mente humana sunt, synthesim esse. Praeterea maiora opera sua sunt: „Królewskie kapłaństwo“ (I ed. 1919, III ed. 1947) (De vocatione sacerdotali deque educatione clericorum), „U podstaw kultury katolickiej“ (Fundamenta culturae catholicae 1935), „Dictamina litterarum O. P. Provinciae Poloniae saec. XIV et XV“ (1938), „Tajemnica miłosierdzia bożego“ (Mysterium misericordiae divinae 1949 II ed.), „Macierzyńskie Serce Marii“ (De Imm. Corde B. M. V. — 1946), „Św. Jacek Odrowąż“ (Vita S. Hyacinthi, 1947) „Bł. Czesław“ (Vita B. Ceslai — 1947), „Umiejętność rządzenia i rozkazywania“ (Ars regendi et imperandi — 1948). Mentione praeterea dignus est eius articulus in „Divo Thoma“ (PI) s. t. „Quaestio disputata de natione et statu civili“ (1926) necnon series articulorum s. t. „Kościół i państwo“ (Ecclesia et Status — concordatus vel divisio? — 1946). Perpulcrum etiam est suum opus „Pełnia modlitwy“ (De plenitudine orationis), cuius III editio paratur.

P. Hyacinthus Woroniecki maximum influxum in vitam religiosam, theologicam et culturalem habuit. Non semper obsequium habuit in suis propositis exsequendis, attamen potuit videre quomodo paulatim ideae, pro quibus non semel acriter pugnabat, in praxim adducuntur.